B. N. C.
FIRENZE
1117
18

Digitized by Google

1117-18

1117.12

# DE IVRISDICTIONE SERENISSIMÆ REIPVBLICÆ VENETÆ IN MARE ADRIATICVM

*Epiſtola*

## FRANCISCI DE INGENVIS, GERMANI,

*ad*

LIBERIVM VINCENTIVM, Hollandum,

*Aduerſus*

IOH. BAPTISTAM VALENZOlam, Hiſpanum,

*Et*

*LAVRENTIVM MOTINVM, ROMANVM qui juriſdictionem illam non pridem impugnare auſi ſunt.*

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

ELEVTHEROPOLI,
*Anno M.DC.XIX.*

# S.

ANimaduerti ex nouiſſimis litteris tuis LIBERI VINCENTI, Vir clariſſime, legiſſe te, quæ non ita pridem in lucem edidere duo Principis Oſſunenſis, proregis Neapolitani, mancipia, Ioh. Bapt. Valenzola Hiſpanus, & Laurentius Motinus Romanus: nec legiſſe te tantum: ſed ſcrupulum etiam inde concepiſſe: propterea quòd ſcioli iſti & audaces homines impugnare non dubitarunt iuriſdictionem, quam Reſp. Veneta in Mare Adriaticum optimo iure habet, àque tot jam ſeculis ſine interruptione habuit & poſſedit. Cui propoſito conficiendo non ingeniorum modo vires vehementer acuerint, Principi ſuo nouā ſpem atque ſolatium afferre nixi: ſed calumnias præterea varias, iniuriarum plenas, pro opinione ſua tuenda intermiſcere haud ſint veriti.

Hic quid mihi videatur in re tanti momenti, quum pro amicitia noſtra enucleatè cognoſcere, maiorem in modum à me petas, etſi pluribus diſſerere neceſſitas non poſtulet: imò operam & oleum perdere videatur is, qui ſycophantis iſtis ad futilem ipſorum & erroneam informationem reſpondere velit: tamen vt æquæ tuæ petitioni

 ſatisfa-

ſatisfaciam, aliquid in medium afferre libet ex iis quæ in priuatum meum vſum dudum obſeruaui & collegi.

Velim autem ante omnia diligenter apud te reputes validum illud & potens argumentum, atque in omni re dubia & difficili maximi ponderis, à Præſcriptione nimirum temporis. Hoc ſi vllibi locum pondusue habet, crede mihi, hic habet quam-maximũ. Etenim ſereniſſimam Remp. Venetam in mare Adriaticum dominium poteſtatemq; habere, non ipſa tantum experientia diuturna, & intemerata ſeries tot ſeculorũ locupletiſſime teſtantur: ſed idem etiam clarè ante oculos ponunt multarum ætatum probatiſſimi aliquot & doctiſſimi ſcriptores, omnium facultatum, Iurisconſulti præſertim, & Hiſtorici atque Chorographi: qui Italiæ & vrbium eius præcipuarum primordia, iura atque dominia, quaſi in ampliſſimum Mundi theatrum producta, litteris memoriæque prodiderunt.

Certè Iurisconſulti non pauci, iique non gregarii aut de infimis, ſed ſumma authoritate pollentes, quorum vltra triginta nominare tibi poſſim, ſi opus ſit, magni viri, vno ore, plenâ voce, & ſummo conſenſu, necnon motu atque inſtinctu proprio, omnes teſtantur, & rationibus etiam euidentiſſimis euincunt, dominium Reipub. in

mare

mare Adriaticum á multis retró ſeculis,ad ſuam vſque ætatem conſtans firmumque manſiſſe. Quare moti alii illorum dicere non verentur, Rēpub. Venetam in mare Adriaticum non minus dominii habere, quam in Venetias ipſas, vrbem primam ac principem:alii veró publicè ac palám profitentur,Adriaticum mare eſſe vrbis Venetiarum territorium,regionem, diſtrictum: & luculentam ſimul mentionem faciunt legitimæ poteſtatis, qua prædita ſit Reſpublica ferendi, ſtabiliendi & promulgandi non tam de nauigatione leges, quam de imponendis vectigalibus, portoriis & naulis,iis,qui per mare illud nauigant&negotiantur.Quam rem adeó illi extra omne dubium controuerſiamque ponunt , vt quenquam vnquam extitiſſe negent, qui contrarium aſſerereatque obtinere ſuſtinuerit.

Et quanquam clariſſimorum illorum virorum aliqui argumento propoſito terminis vtuntur generalibus, ſimpliciter atque abſolute tantum maris Venetorum mentionem facientes, neque exprimentes præciſé, qualenam illud, quantumue mare fuerit : tamen alii , qui diſertius loquuntur, illud Golfum indigetant: alii veró mare Adriaticum ipſum. Quo non ſolum maris poſſeſſi ſitum definiunt& deſcribunt,ſed magnitudinem etiam eius & amplitudinem liquido

declarant. Ex verbis autem illorum, qui diſertè & expreſſe loquuntur, verba & ſenſus horum, qui generalibus vtuntur terminis, ſunt intelligenda & exponenda. Notum enim tibi protritum. Logicorum, Ex lo. is ſynonymis & apertis explicanda & illuſtranda ſunt homonyma & ambigua: Interim quod ad ipſam attinet rei, de qua quæritur, ſubſtantiā & medullā, omnes illi doctiſſimi viri admirabili inter ſe concordia continētur. Nā ὁμοθυμαδὸν omnes teſtantur, poſt occaſū Imperii Conſtantinop. aut eo ad occaſum ſaltem vergēte, quū mare Adriaticum aliquot annis eſſet derelictum, ſic, vt illud nec præſidio cuſtodiret, nec protegeret & gubernaret quiſpiam, Remp. Venetam, vt commeatum inde ſuum haberet, in fidē protectionemque ſuam ipſum recepiſſe: gubernaculum quinetiam eius, dominiumq; ſibi ſumſiſſe. Quod equidem facere naturali & gentium iure poterat: quum veriſſimum ſit, & cuiuis cōpertiſſimum ſanâ mente prædito, terras, maria & alia, quæ ſub dominio alterius non ſunt, ſub poteſtatem redigi eius, qui primus illa occupat: qua ſanè ratione primæva Mundi Imperia terra marique occupabantur, hodieque occupantur. Illo ſic recepto Reſpublica tum præſidium tum dominium & gubernaculum eius magis magisque au-

xit,

xit, amplificavit & propagauit, inſtructis ad id validiſſimis claſſibus, impenſis immenſiſſimis opibus, & profuſo copioſiſſimo ſanguine chariſſimorum & fideliſſimorum ſuorum ſubditorũ: quibus quæ progreſſu temporis à pyratis & aliis, cum Italiæ, tum adverſi littoris, accolis infeſta & infauſta obſtacula interiecta fuere, Reſpublica magno ſemper animo & felici conatu ſuperauit, remouit & deleuit.

Habes, VINCENTI, de re propoſitâ ſententiam atque aſſertionem Iuriſconſultorum.

Huic ſuffragatur ingens numerus Hiſtoricorũ & Chorographorum, non indignioris exiſtimationis. Nam, vt nihil dicã de Leandro, Hiſtoricorũ Italicorum ſui temporis coryphæo, de Sabellico, & aliis præclari nominis viris, qui non tam inclytæ Venetiarum vrbis initia, quam dominia atq; iura eius in mare Adriaticum graphicè vereque deſcribunt, & plenis buccis prædicant: inſuper per plures alios reperias, viros graues, & hiſtoriarum atque antiquitatum peritos, qui affirmare non dubitant, Rempublicam Venetam iam vltra trecentos annos à nauigantibus per mare Adriaticum naulum exegiſſe: operam quinetiam ſedulo dediſſe, vt per claſſes armatas vela faciẽtes hinc inde nautæ nauiculariam ſuam exercere tutó ſecureque poſſent. Quod vel vnum argumentum

quam

quam potentes dominium illud aſtruat, idoneumque ſit retundendis calumniis ſycophantarū iſtorum: tu pro tua prudētia iudicare potes ipſe.

Verum enim veró quum excipere poſſit aliquis, Hiſtoriographorum authoritatem minus fortaſſe ponderis hic habere: experientia quandoquidem comprobet, alios ſæpe amore, alios odio, alios ſpe aliquâ, aut adulatione pruritos, hæc & illa iura atque dominia, in huius vel illius gratiam proferre, prædicare & extollere: ob id animo te tuo perprobe volvere velim celebrem illum, & conſideratione digniſſimum, atque plane authēticum actum, qui accidit in Concilio generali à Leone Papa, an. MCCLXXIV. celebrato. Quum enim Nerueſanus Abbas, delegatus Papæ, Anconitarum de libera nauigatione prætenſionem in medium proponeret, vehementerque vrgere vellet: è veſtigio & ſine multis altercationibus quaſi è tripode pronunciatum ſancitumque fuit, prætenſionem illam momenti eſſe prorſus nullius, proindeque explodendam & repudiandam. Iniquum enim eſſe, iniquum, vt Reſpublica Veneta, quæ mare Adriaticum contra vim Saracenorum, & prædas pyratarum, ſumtu magno adeó interdiu & noctu defendat, communi Chriſtianorum bono, ipſa in debitâ ſuâ & legitimâ poſſeſſione interturbetur, atque iure optimo ma-

ximo illo, quo tot annis, nemine refragante, vſa & gauiſa eſt, exigendi vectigal priuetur.

Hic in mentem mihi ſubit, aliquos, vt dominii huiuſce ius infringant, aut in dubium ſaltem vocent, de tempore ſciſcitari, quo primus maris Adriatici capitaneus Venetus ſit renunciatus. Equidem de tempore illo præciſe non conſtat: quum Archiuum, in quo deſignationes & conſignationes tales continebantur, anno MCCXXX. infelici igni ſit abſumptum. Hoc tamen interim altè tibi perſuadeas, à tempore illo, ad hoc æuum, capitaneorum iſtiuſmodi continuam ſucceſſionem ſine interruptione ex tabulis publicis demonſtrari poſſe.

Et exſtant in publicum tabulæ aliæ, quibus ab eodem illo tempore ad idem hoc æuum, libertas mare illud transnauigandi aut cum nauibus armatis, aut cum perſonis certis, aut cum rebus ad vſum illarum pertinentibus, plene planeque eſt determinata: quam petere neceſſe habuerunt, petieruntque Principes, Adriatici maris littori adhabitantes omnes: veluti Papæ, Legati, Vicarii, Gubernatores & Cõmunitates prouinciæ Romanæ & Marcanæ: Reges quinetiã Neapolitani ipſi pro Apulia. Quæ libertas nũc cõceſſa, nũc negata fuit eis: & cõceſſa quidem nunc plene, nunc vero tantum ex parte: prout Reipublicæ, dominæ maris,

eſt viſum: quibus omnibus ac ſingulis operoſe recenſendis, ne epiſtola in volumen excreſcat, libens ſponteque ſuperſedeo.

Sed & indubiam huic aſſertioni fidem facit illud Papæ Vrbani VI. Breue, in vrbe Luca exaratũ, quod ad Ducem Antonium Venierum direxit anno MCCCLXXXVIII. ad d. XIV. Iun. in quo gratias ei agit, quod triremibus ipſius, quæ mari Adriatico à præſidio eſſe ſolent, Mariam, Hungariæ reginam in Caſtro-Nouo captiuam detentã, promptè adeò atque ex voto ſuo liberarit. quod duo etiam illa Gratulatoria carmina oſtendunt & confirmant: quorum vnum prædictæ reginæ inſcriptum eſt, alterum verò eius marito, regi Sigiſmundo, poſtmodum Imperatori: qui pariter liberationem illam ſibi gratulabatur, & tãquam operâ Capitanei ac triremium Venetarum, in præſidium maris Adriatici diſpoſitarum, præſtitam prædicabat.

Meminiſſe præterea te velim, VINCENTI, ſalui conductus illius, qui Rodolpho, Salenſi Comiti, petenti illum à Republica, Vladislai Regis Neapolitani, & Guilielmi Auſtriæ Archiducis nomine, datus fuit anno MCCCXCIX. ad d. XII. Decembr. in quo petitum fuit, vt ſoror prædicti Regis modo nominato Archiduci deſponſata, per mare Adriaticum ex Apulia ad terras ſponſi ipſius

çum

cum triremibus & aliis nauibus, quarum duodecim circiter erant, deduceretur. Cui vtique petitioni Reſpublica ſatisfecit: hac tamen expreſſa cōditione, vt in naues commemoratas nullus aut Venetiis proſcriptus, aut ſceleris capitalis in Rempublicam admiſſi reus reciperetur: quod Drieſtâ ſoluentes Auſtriaci in itu & reditu bona fide præſtiterunt.

Neque hic ſilentio obliterandum, extare Imperatoris Friderici litteras, non vnas, ſed binas, ad Ducem Iohannem Mocenigum ſcriptas: quarum illas Græcio dederat anno MCCCCLXXVIII. ad d. XXIV. Sept. has vero ibidem anno MCCCCLXXIX. ad d. II. Apr. in quibus ex Apulia per mare Adriaticum frumentum transuehendi licentiam ſibi fieri poſtulat: ſignificans Ducem rem ſibi facturum gratiſſimam, quam ampliori cum gratiâ agnoſcere haud ſit intermiſſurus.

Non minus momentum afferunt ad ius dominii Veneti in mare Adriaticum vindicandum litteræ Beatricis, Matthiæ & Annæ, Hungariæ regum. Petit nanque Beatrix ab eodem Duce Mocenigo, anno MCCCCLXXXI. prid. Kal. Februarias, res quaſpiam in priuatum ſuum vſum, ex Italia per mare Adriaticum transportandi licentiam, quas aliâs ſine Reipublicæ permiſſione

 trans-

tranſportare nequeat: indicans, ſe liberalitatem & amicitiam iſtam grato animo non tantum agnituram, ſed etiam cõpenſaturam eſſe. Et Matthias ad eundem Ducem ſcriptis litteris anno MCCCCLXXXII. ad d. XVI. Febr. commemorat, Rempublicam ſolere ſingulis annis licentiam facere Comitibus Frangipanis, Zengæ & aliorũ locorum maritimorum Dominis, ad vehendi ex Apulia certam frumenti copiam. Et quandoquidem in iſta ipſe loca iam ſucceſſerit, petere ſe, idẽ libertatis ſibi concedi. quod ſi expeditis ad id litteris, & traditis nuncio ſuo, quẽ iſtum in finẽ delegauerit, voti ſui cõpos fiat, ſe id gratioſe agniturũ, & data etiã occaſione compenſaturum. Idem Rex ad Ducẽ quoq; Auguſtinum Barbadicum de obdinenda hac licẽtia perſcripſit, anno MCCCCLXXXVII. ad d. XVIII. Oct. Quũ enim ad reſtaurationẽ propugnaculi cuiuſdam ad Narentæ oſtium, lignis opus haberet: licentiam ſibi fieri flagitavit illa conducendi Zegnã per mare; exaratis ad id litteris patentibus: offerens ſe, ꝙ viciſſim Reipublicæ velit gratificari, in rebus momenti etiã maioris. Pariter Regina Hungariæ Anna licentiam per mare Adriaticum ex Apulia & Marca frumentũ conducendi Zengam, quum terra iſta infrugifera ſit, ſibi dari poſtulauit anno MDII. ad d. XXX. Auguſti, tanquam rem ſibi longe gratiſſimã futuram.

turam. Quæ exempla omnia ac ſingula quam vim habeant,& habent ſane meo iudicio maximam; peto à te etiam,atque etiam,vt mecum æquo placidoque animo,velis expendere.

Simul velim illud etiam cogites,quod Iohannes Duranus,Capitaneus Piſini,Imperatoris Maximiliani miniſter,litteris ſcriptis ad Ducem Leonardum Loredanum, conqueritur, Iacobum Croatum,Maieſtatis ſuæ ſubditum, quum Fianonâ conſcendiſſet mare, quod dominio Reipub.ſubiectum ſit,& Zengam proficiſci animo haberet,à naui armatâ,pyratis refertâ, qui mare Adriaticum cum ignominiâ Reipub. deprædari non verecundentur,impetitum eſſe. Supplicare ſe igitur,vt huic incommodo remedium afferatur,&c.

Hæc & alia complura argumenta euidentiſſima & luce meridiana clariora, etſi eximenda ſcrupulo tuo tibi, ornatiſſime VINCENTI, qui de rerum momentis dextrè iudicas, abunde ſufficere,& plene ſatisfacere confidam: tamen coronidis loco non poſſum non in mentem tibi replicare, tanquam palmarium argumentum, cærimoniam illam annuam, antiquam atque auguſtam; quæ Aſcenſionis DOMINI feſto præſentibus ſereniſſimo Duce,& excellentiſſimo Senatu:nec non ampliſſimis Principum & Re-

rumpublicarum exterarum legatis: maxime vero legatis Sacræ Cæſ. Maieſtatis ſuæ & Prædeceſſorum ipſius ſolenniter & ſingulari cum pompa quotannis, à tam longa ſerie annorum celebrari; ſolebat, hodieque celebratur in qua quaſi ſacroſancto coniugio cum Republica copulatur Mare: quod ipſa his grauiſſimis verbis alloquitur, Deſponſamus te, MARE, in ſignum veri & perpetui Dominii. Et quanquam huic cærimoniæ à ſcriptoribus perhibeatur Alexander III. Venetiis ortum dediſſe: tamen iidem conſtanter affirmant & confirmant, illam inſtitutam eſſe in certiſſimum ſignum & infallibile pignus indubii dominii, quod Reſpublica iure belli diu ante acquiſiuit & poſſedit.

Poteram multa alia hic commemorare nullo negotio, quæ aſſertioni meæ fidem faciant: ſed finem ſcribendi facio, quia iam commemorata adeo manifeſta, firma ac ſolida ſunt, vt quid manifeſtius, firmius ac ſolidius ſit, diciue poſſit, ego quidem non videam. Quo vehementius demiror, imo deteſtor illorum inſignem audaciam, qui cauſſam ſane vel optimam dehoneſtare, & ius tot annorum ſeculis ſine interruptione comprobatum, tot fide dignis atque auphenticis teſtibus communitum, àque Cæſaribus, Regibus, Principib. & Magiſtratib. imo Papis

ipſis

ipſis, pro vero & legitimo agnitum publicatumque, ac proinde ſacroſanctum & venerandum, non tantum Theonino dente rodere, rabidi canis inſtar allatrare, atque exulcerare, ſed totum etiam infringere, èque medio tollere nituntur. Multo vero inſignior eſt audacia illorum, (& habet profecto Reſpublica de ea iuſte grauiterque conquerendi vberrimam ſegetem:) qui mare Adriaticum aperta vi hoſtili infeſtare, perrumpere, atque libere per illud graſſari, præter & contra Reipublicæ, heræ ipſius voluntatem & permiſſionem, imo & cum damno ius; impune ſe poſſe ſibi imaginantur: qui iſtius tanto Zelo, tam longo iam tempore affectæ Monarchiæ in Statuum liberorum non detrimentum ſolum, ſed totalem euerſionem eſt fructus & ſtratagema ſingulare: quo voti ſui facilius conſequendi cauſſa, itinera hincinde terra marique, vbique gentium & locorum, & extra Italiam (quod Rætia, Valleſia, Heluetia, Germania ſuperior & inferior, aliæque provinciæ nobiliſſimæ, ſatis ſuperque teſtantur: ſolis ſibi, tanquam Vniuerſi dominis, & conatibus ſuis proſtare, cœteris vero Prrincipibus, Rebuspublicis & Magiſtratibus præc uſa eſſe vo'unt: de quo intolerabili machinamento, adque quatiendum & conuellendum Status liberos omnes,

nimis quam-idoneo, multa haberem in ſinum tuum iuſto dolore effundere. Sed tempus me deficit & otium: dabiturque aliàs de his & aliis rebus ad patriæ communis ſalutem pertinentibus amplius colloquendi & conferendi facultas. Ex illis vero, quæ iam allata à me ſunt, voto tuo, aduerſus duum hominum iſtorum leuiſſimas & putidiſſimas nænias, ſatisfactum eſſe ſpero, imò confido. Vale: & amicis apud vos, plurimam, niſi graue eſt, à me ſalutem. Deus languentis Reipublicæ Chriſtianæ miſereatur. Eleutheropoli. Nonis Februariis Iulianis CIↃ.ICC.XIX.

FINIS.

1117·18

99 960876

MC